Fragmentarium

modus est manifestus fuit dimissus ab Aristotele. Iste autem est consideratio scilicet quare quedam corpora sunt graviora quibusdam locis diversis. Et hec est causa cuius causam vult modo dare Aristoteles. Et ideo intelligendum est per hoc quod dixit in multitudine et paucitate quantitate et minimum rerum graviorum et leviorum. Deinde dixit: et si ita sit etc. id est et si causa gravitatis et levitatis existencium in compositis corporibus sit gravitas et levitas existentibus in simplicibus, oportet ipsum qui vult dare causam gravitatis et levitatis in corporibus compositis dicere quid sit gravitas et levitas in primis corporibus. Et quia antiqui dederunt causam gravitatis et levitatis in corporibus compositis scilicet vacuum et plenum et diminuerunt dicere prius quid est vacuum et quid plenum, reprehendit eos et dixit: et oportet dicentes etc.

Accidit utique non ubique. Recitamus igitur et dicamus quod accidit omnibus corporibus compositis et non in omni loco sunt gravia aut levia propter diversitatem primorum corporum. verbi gratia quod lignum ponderis c. librarum est in aere gravius plumbo duarum librarum et in aqua levius. Et causa eius est quia omnia corpora habent gravitatem nisi ea que sunt ex igne. et omnia habent levitatem nisi ea que sunt ex terra. Et si ita sit, necesse est ut terra sit gravis. et omne in quo plus est de partibus terre erit gravius in omnibus locis necessario. Et aqua est gravis in omnibus locis nisi ea sola que sunt ex terra quoniam aqua natat super ea. Et similiter aer est gravis in igne. In aqua autem et terra et super eas est levis.

Cum Aristoteles incepit loqui in causis eorum que apparent in corporibus gravibus et levibus compositis et in magis desideratum scire est causa quare quedam composita sunt graviora quibusdam in uno loco et leviora in alio, incepit in hoc et dixit: Recitamus igitur et dicamus etc. Quoniam nos agimus causam propter quam quedam corpora composita sunt graviora quibusdam in aliquo loco et in alio, et lignum cuius visum est x. librarum quod est gravius plumbo cuius visum est una libra in loco aeris, in loco autem aque econtrario. Deinde dedit causam in hoc et dixit: et causa in hoc est quia omnia corpora habent gravitatem in suis locis preter ignem et habent etiam aliquam levitatem in suis locis preter terram. Et diximus aliquando quod non intendit per levitatem et gravitatem quas habent in suis locis istud quod intendit per gravitatem et levitatem quas habent in suis locis, istud quod intendit per gravitatem et levitatem quas habent cum fuerint extra sua loca sicut antiqui qui ignorant hec. dixit quod contingit Aristoteles dicere quod elementa stant in suis locis violenter sicut stant in locis extraneis ubi habent gravitatem et levitatem veram. gravitas autem et levitas quas habent in suis locis non est nisi velocitas motus ad superius aut ad inferius ab eo qui facit violenciam. et per hoc quod habent fuit possibile ut lapis moveretur a manu expellentis postquam separatur ab eo ut declaratum fuit. Et hec gravitas que est in aere et in aqua maior est levitate quam habent in istis locis. Et ideo cum aliquis expellit aerem ad inferius facilior erit motus eius quam ad superius. et similiter de aqua. Deinde dixit: et cum ita sit etiam erit gravius necessario etc. id est et si ita sit, et terra est gravis in omnibus locis, necesse est ut de corporibus compositum in quo terrestritas habundat magis levitas sit grave in omnibus locis in quibus movetur, ut plumbum quod est grave in omnibus locis quia terra habundat in eo. Et omne in quo aqua dominatur est grave in omnibus locis nisi scilicet in igne et in suo loco. Et sic debes intelligere gravitatem quam habet etiam in suo loco sicut diximus. Et aqua est

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 45, fol. [33]v – Aristoteles, <i>De caelo</i>, with commentary by Averroes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tq1r/9563/70275)